



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

§. Procurator.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

tit. Tametsi id, præsertim in foro Canonico, non semper obseruetur, sicuti dixi supra cit. n. 14.

3 Aduerte secundò; Procuratorem in rem suam, seu in proprium comòdum dari, cum ipsi actiones & iura ceduntur, vt pro se in iudicio exigere possit. Exemplum dat Glos. fa: Si pater filio suo, aut alteri personæ cedat iura & debita sua iuxta l. illam, 33. C. de donat. is cessionarius directas actiones (quippe quæ à contrahentium ossibus auelli non possunt) exercebit nomine cedentis; vtiles autem seu cessas nomine suo, seu in propriam vtilitatē. Et talis in rem suam datus procurator alium etiam ante litis contestationem substituere potest. Verùm non aberrabit, qui dixerit, hunc propriè procuratorem non esse; cum non tam aliena, quàm propria negotia tractet, sicuti notauit hic Petr. Ancharan. not. 4 Gl. in supra cit. l. 1. ver. aliena.

4 Aduerte tertio: Si Procurator ante litis contestationem iussu, aut voluntate domini procuratorem alium substituit, is domini potiùs, quàm substituentis procuratoris procurator esse censetur, sicuti Gl. hic annotauit ver. substituendi, ex l. Item, 6. §. Si decuriones, ff. Quod cuiuscunque Vniuersitatis. l. 2. ff. de Procurator. vbi dicitur, quòd procurator certus esse debeat; Siquidem in hoc certus redditur, per substituentis deputationem.

Eadèmq; ratione docet Bartol. in l. quidam 6. n. 7. ff. de rebus dubijs: Quòd testamentarius executor incertus, certificandus tamen à Titio, vel futuro aliquo euentu, institui possit: v. g. Relinquo executorem Præfectum Xerodochij, qui tempore mortis meæ fuerit: Vel, Eum quem Titius frater meus nominauerit. Cuius contrarium aliqui docent apud Ancharan. hic §. sed nunquid: cum neque tutor ita institui possit, vt DD. communiter fatentur ex l. tutor incertus 20. ff. de testam. tutela. Sed respondet Bartol. id specialiter statutum esse filiorum fauore, vt pater ipsemet tutorem eis deligere ac nominare deberet. Sed cum pro-

curatorem, vel hæreditatis suæ executorem aliquis constituit, de ipsius constituentis bonis agitur, ac proinde maiore disponendi libertate gaudere debet.

## §. Procurator.

Procurator ad negotia datus liberè, quando-  
cunq; vult, procuratorem alium deputare potest.

Sed pro declaratione huius §. distinguendum. Num procurator sit generalis, an specialis, seu ad certam causam datus. Generalis procurator alium cum simili generali potestate constituere nequit, sed vnam, vel plures causas particulares delegare potest, l. 1. §. Magistrum autem, ff. de exercitatoria act. Specialis autem procurator negotium sibi demandatum alteri committere potest, l. si procuratorem, 8. §. Si quis mandauerit, ff. mandati, l. si ego, ff. Quod vi, aut clam. Nisi personæ industria electa esse censetur, tum alteri committere non potest, argum. c. vlt. hoc lib. & tit. & c. is cui, 12. de offic. delegati. & docet Bartolus communiter receptus in l. penult. ff. de diuers. & temporal. præscript.

## CAPITVLVM II.

### Quamuis.

#### SVMMARIVM.

1. Procurator ante litis contestationem etiam sine causa remoueri potest.
2. Præter alias tamen expensas etiam salarium ei præstandum erit.
3. Post litis contestationem neque ipse procurator recedere potest.
4. Dominus vnà cum procuratore potest adesse causæ, maximè si de collusionem timeat.
5. Et si dominus ante latam sententiam moriatur, mandatum procuratori & litis instantia non finitur.

Ante